Lister (G.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

BLENORRHOEA A VENERE IMPURA.

QUAE,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.T.P.

Academiae Edinburgenae Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS LISTER,

ANGLUS,

SOCIETATIS REGIAE MEDICAE EDINENSIS,

SOCIUS EXTRAORDINARIUS,

&c.

Stultorum incurata pudor malus ulc[illegible]lat. HOR.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCI.

VIRO ILLUSTRISSIMO,

THOMÆ LISTER,

ARMIGERO,

DE GISBORN IN COMITATU EBORACENSI,

Qui nuper officio SENATORIS BRITANNICI fideliſſime functus eſt, PATRIÆ, nullo in exemplo, unquam defuit; ſed omnibus ejus commodis audax et interritus conſtanter aſſidueque conſuluit: Nec privatæ publicis virtutibus cedunt.

NEC NON

VIRO ERUDITISSIMO,

ALEXANDRO MONRO, M. D.

ET REI ANATOMICÆ, CHIRURGIÆQUE IN ACADEMIA EDINENSI PROFESSORI, &c. &c.

Cui, Natura favente, contigit multum luminis variis ANATOMIÆ, PHYSIOLOGIÆ, ET CHIRURGIÆ, partibus, hactenus ex toto ignotis, ſaltemve parum accurate inveſtigatis, effundere.

HANC DISSERTATIONEM MEDICAM INAUGURALEM,

ea, qua par eſt, Obſervantia.

D. D. C. Q.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

BLENORRHOEA A VENERE IMPURA.

SORS mortalium ea eſt, ut morbis natura ſua admodum diverſis, et natura curationis non minus diverſis, objiciantur; ſed iis e memoria nunquam excidat, naturam ſapientem et creatricem nunquam voluiſſe, ut in æternum viveretur; namque non tantum vitæ et felicitati, in ſpatium temporis certum, ſed etiam morti inevitabili, conſulendum curavit. Hiſtoria autem originis morbi, quem in diſſertatione hacce exequi decreverim, non pa-

rum litis et controverſiæ apud Hiſtoricos et Medicos excitavit. E modo docto et accurato, quo celebris ASTRUC omnia hujuſce morbi ortum ſpectantia collegit, et in ordinem redegit, apparet, Luem veneream in Europa ſemet, circa annum 1494, primum oſtendiſſe; ſed non evincere poſſe videtur, Blenorrhœam, niſi quadraginta annis aut circiter poſtea elapſis, ſeſe in conſpectum dediſſe. Ex iis vero, quæ hodie ſuper morbo comperta habemus, non parum evidenter mihi conſtare videtur, Blenorrhœam et Syphilitidem eodem tempore ſe in conſpectum dediſſe, ut poſtea probabile reddere conabor. Unum tantum, in præſentia, memorabo, unde, Morbum Venereum antiquos latuiſſe, me judice, tuto poteſt concludi. Si, Romanis rerum potientibus, extitiſſet, morbus tam facile collectus tamque cito vulgatus, ſemet in urbe totius orbis terrarum præcipua brevi oſtendiſſet, et attentionem ſcriptorum Latinorum in ſeſe haud dubie convertiſſet, et materiem ſatyræ eorum acrimoniæ licentiæque feliciter convenientem ſuppeditaſ-

ſet.

ſet. Quibus coloribus vividis victimas miſerandas, huic morbo ſuccumbentes, depinxiſſent HORATIUS, JUVENALIS, MARTIALIS? E ſilentio horum Auctorum cogi et effici poteſt, nationes antiquiores morbum ex toto ignoraſſe. Igitur originis multo recentioris ſit opottet, et ei, quam ASTRUC illuſtris propoſuerit, videntur objici poſſe pauciſſima. Affectus quidem partium genitalium iis, quos hodie videmus, non abſimiles in Auctoribus offendimus. Hujuſcemodi ſunt ii, qui a PAULO ÆGINA, ÆTIO, et CELSO de obſcenarum partium vitiis memoriæ produntur. Nulla vero ab iis Auctoribus mentio fit, vitia, quæ recenſent, unquam ſemet contagione vulgare, vel coïtu diffundi, et ſigna, quæ, ſingulis fere diebus a viro venereo admoto oriri videmus, facere. Cum res ita ſeſe habeat, cumque nulla eorum operum pars ullum affectum deſcribat, qui morbum venereum etiam leviſſime reddit, nonne ratio graviſſima eſt, cur affectus, quos depinxerint, non venereos fuiſſe, ſed a fonte diverſo originem deduxiſſe, concludamus? Mul-

tæ

tæ de cauſis, quæ morbum primum moverunt, conjecturæ factæ fuerunt. Alii eum gravitati aëris, alii notitiæ mulierum habitæ, dum menſtrua proveniebant, tribuebant. Vir clarus JOANNES HUNTERIUS exemplum protulit, ubi eroſio glandis et ardor urinæ, in ſtatu rerum non longe diſſimili, fuerunt progenerata. Alii, contra, cauſam morbi et originem certis inſectis vel animalculis, glandi hominis admotis, quo rem veneream avidius potentiuſque exerceret, retulerunt. Opinionem hujuſcemodi in medium protulit Doctor GERTNNER; eandem vero in Auctoribus antiquioribus offendimus.

" Multum argumentum originis Luis ve-
" nereæ ab aliquo infecto veneris." Idem alibi. " Ictus ſerpentum omnium malorum peſ-
" ſimum; ideo Lui venereæ merito compa-
" randum. Quis adeo dubitet, iſtam Luem ex
" id genus animalibus ortam eſſe; nam penis
" ab iſtis morſibus venenatis vehementer in-
" tenditur, et ſatyriaſi, id eſt furore et libi-
" dine perciti, nihil, præter coïtum, anhelant.

" Ita

" Ita quod vulneratis remedium, fœminis ca-
" lamitas eſt, et a fœminis ſic inflictis invi-
" cem hominis conflictantur, in poſterorum
" diram perniciem *."

Hiſtoriam vero hujuſce morbi naturalem eo uſque ignoramus, ut, a quibus cauſis primum fuerit profectus, minime pro certo audeamus aſſerere. De hac re igitur ignorantiam noſtram confiteamur oportet.

MORBI DEFINITIO.

" Titillatio, præcipue in urethræ parte an-
" teriore, in lacuna MORGAGNII, ſub frænulo
" ſubſequente, poſt biduum quatriduumve,
" phlogoſi locali, cum ardore et dolore in
" mingendo; accedente ſtillicidio materiæ
" mucoſæ purulentæ," " vel puriformis, ex
" urethra; corpore cavernoſo urethræ præter
" naturam turgeſcente, plerumque cum erec-
" tionibus membri virilis ſolito frequentiori-
" bus, dolorificis †."

EJUSDEM

* M. LISTER de Humoribus, p. 400.

† SWEDIAUR Tab. Noſolog.

EJUSDEM HISTORIA.

Blenorrhœa a coïtu impuro plerumque proficiſcitur. Semet plerumque diem tertium inter et duodecimum oſtendit, modo citius, modo ſerius. Quod primum ſignum oritur, id, uti Auctores memoriæ produnt, eſt ſenſus punctionis, qui, ut inquiunt, a coïtu protinus notatur, et mox decedit. Hoc vero in omni exemplo non ſemet oſtendit, et, cum notitiam mulieris valetudine commodiſſima fruentis habueris, ſæpe apparebit. Igitur dubium eſt, et ad id parum attendi debet.

Circa tertium quartumve diem ſæpiſſime apparet primum morbi ſignum, titillatio nempe grata, prope oſtium urethræ. Brevi poſtea materia, quæ ſpeciem lymphaticam præ ſeſe fert, ex ea exire notari poteſt. Hoc tempore, teſticuli quaſi circumrotantur; ſed hoc non ſemper incidit. Æger plerumque ad venerem, præter conſuetudinem, proclivis eſt. Spatio brevi hæcce titillatio grata minus grata mutatur, et id quod ex urethra proficiſcitur, ſpeciem

ciem puris ſibi induit, et copioſius effertur. Hæc ſigna magnopere intenduntur, quandocunque urina redditur, præſertim cum partem affectam primum contingit; et dolor, dum ultimæ guttæ effunduntur, intolerandus evadit. Glans penis colorem cerafi nunc ſibi aſſumit, et multum inflammatur. Præputium quoque multo craſſius fit, et, ſub hoc tempus, phymoſis et paraphymoſis frequenter offenduntur, et dolores circa os pubis ſentiuntur. Hoc tempore conſtanter notavi, glandem colorem ſuum naturalem amittere, quanquam nihil humoris e glandulis odoriferis effluit, quod nonnunquam incidit. Diſtenſio totius penis non raro oritur, ſuppreſſione urinæ aliquando ſtipata; et cum ægrotus in lecto calidus decumbit, penis, ſine voluntate, rigeſcit, et alterum latus verſus incurvatur. Huic nomen *chordee* tentigini indi ſolet. Quod ex urethra deſtillat, id ſpecies diverſas ſibi aſſumit, modo flavum, modo viride, modo ſanguine tinctum.

Signa ſupra enumerata, in ſpatium temporis longius breviusve, pro rebus poſtea conſiderandis,

ſiderandis, manent; ſed plerumque, tribus hebdomadis elapſis, citiuſve, minus gravia evadunt. Exempla vero non deſunt, ubi, ob certas res, conſtitutioniſve corporeæ proprietatem, ſigna plus periculi habentia oriuntur; namque inflammatio diſtantiam *ſpecificam*, uti appellatur, excedit, et cervicem veſicæ etiam*, glandulam proſtatam, &c. attingit, urinæ retinendæ impotentia, teſtium, glandularum inguinis, &c. tumore ſtipata. Nonnullis in exemplis, cum profluvium ſupprimitur, idque ſubito, ophthalmia graviſſima protinus oritur. Quinetiam fere conſtanter notatur, profluvium, ſi ægrotus quolibet morbo acuto, ut febre, corripiatur, in aliquantum temporis ceſſare; et, ſi febris violenter urgeat, Blenorrhœam nonnunquam ex toto depelli.

Non raro, cum omnia alia Blenorrhœæ ſigna deceſſerunt, materia, lymphaticam reddens, ex urethra effundi perget. Hoc autem ſtillicidium Anglice *gleet* appellari conſuevit.

Parum neceſſarium foret notare, omnia ſigna

* Monroii Prælect.

ſigna ſupra comprehenſa nunquam fere in eodem exemplo conjungi. Modo unum, modo aliud deeſt. Tentigo, ſine voluntate, non ſemper ſubeſt. Ardor urinæ, contra, raro abeſt. Tentigo modo poſita frequenter ultimum ſignum eſſe reperitur.

Mulieres, cæteris paribus, eodem fere modo, ac mares, affici conſueverunt. Igitur ſigna earum deſcribantur non neceſſe eſt. Notatu tamen dignum eſt, morbum in ſexu fœmineo plerumque eſſe leviorem.

SIGNA, QUAE HUNC MORBUM AB ALIIS SECERNUNT.

A ſignis, quæ in Blenorrhœa ſemet oſtendunt, oritur difficultas eam ab aliis morbis dignoſcendi, quorum notæ ei proprias magnopere referunt. Hujuſcemodi autem ſunt affectus renum, veſicæ urıniferæ, Blenorrhœa non virulenta in viris, et Leucorrhœa in fœminis. Morbi renum a Blenorrhœa non difficulter diſtingui valent. Namque in illis ſigna primaria ſunt dolor, calor et pondus in regi-

one renum, aliis inflammationis notis ſtipata, quæ ſemet ſemper prius oſtendunt, quam aliquid materiæ deſcendit, et, cum apparet, dolor ponduſque in renibus etiamnum manent. Hæc ſigna vero nullum cum Blenorrhœa nexum habent, et duo morbi igitur a ſe invicem facile ſecernentur.

Quantum morbos veſicæ ſpectat, diagnoſis ſæpe multo difficilior. Namque, ulceribus veſicæ ſubſtantibus, calor urinæ, et dolor etiam ponduſque perinæi accedunt, quæ ſigna quoque in Blenorrhœa notantur. Si vero animum ad tempus modumque, quo materia evacuatur, diligenter attendamus, diagnoſin juſtam attingere valebimus. Namque, ſi materia e veſica profluat, tantum inter urinam reddendam evacuatur. In Blenorrhœa, contra, ex urethra conſtanter effertur.

Leucorrhœam a Blenorrhœa rite diſtinguere ſæpe difficile eſt. Per prima Blenorrhœæ ſtadia, hanc ab illa ſecernere facilius valemus, quod hic ſe in conſpectum dant, calor urinæ,

tumor

tumor et inflammatio labiorum pudendi partiumque vicinarum, quæ aliquando eroduntur. Hæc ſigna vero in Leucorrhœa recente rarius offenduntur. Hæc quoque dolore ſenſuque ponderis, in regione lumborum, fere ſemper ſtipatur; quod nunquam in Blenorrhœa incidere conſuevit. In Leucorrhœa ſubſunt languor univerſus et debilitas, et præſertim appetitus cibi proſtratus. Per haſce notas unum morbum ab altero plerumque dignoſcere valemus.

Quantum ad Blenorhœam non virulentam attinet, ea plerumque alicujus vitii chronici, vel acrium in urethram invectorum propago eſt. Cum ſigna vero in utroque caſu ſint eadem, nullo modo diſtingui poſſunt. Igitur in diagnoſi quærenda, non alia re, quam amore veri ægrotantium noto, et exiſtimatione bona regi poſſumus.

CAUSÆ MORBI.

Quantum ad ſeminia hujuſce morbi attinet, quænam, aut qualia ſint, ſtatuere non poſſumus;

mus; aliqua vero non deeſſe, in primis probabile eſt. Nonne ratio eſt, cur ſuſpicemur, ea cum ſtatu irritabilitatis urethræ aliquo modo conjungi? Unica noxa, vel cauſa excitans eſt virus venereum contingere.

RATIO, QUA VIRUS URETHRAM INGREDIATUR.

Cum Auctores ſuper hac re conſulimus, eos inter ſeſe longe differre reperimus. ASTRUC exiſtimavit, virus in urethram per vaſa abſorbentia invehi. Hæc opinio vero repudietur oportet, quoniam nulla lymphatica a ſuperficie urethræ ad cavum ejuſdem tendunt; ſed, contra, in glandulas inguinum definunt. Ob hunc errorem tamen ASTRUC facile excuſatum habere poſſumus; quod decurſum lymphaticorum accurate perſequi, et actionem eorundem veram detegere MONROIO illuſtriſſimo ſoli contigit. Opinionem recipere non poſſumus, virus venereum per partes, ut aqua per ſpongiam, tranſudare; namque argumenta

ta a viro illuſtri modo poſito, et nuper quoque a viris claris CRUICKSHANK et JOANNE HUNTERIO adhibita conjunctim demonſtrant, nullam tranſudationem hujuſcemodi in corpore vivo unquam incidere. Dr HUNTER in hanc ſententiam conceſſit, cutem circa oſtium urethræ tenerrimam inflammationem concipere, ob virus venereum ei admotum, et hanc inflammationem ſemet diffundentem, ut aliquid humoris in ſuperficiem urethræ internam effunderetur, feciſſe, et hanc materiam hoc modo invectam Blenorrhœam moviſſe. Si res ita ſeſe haberet, partem primum affectam, poſtquam reliqua ſigna acceſſerunt, etiamnum dolore, et aliquantum inflammari reperire ſperares. Aliter vero incidit. Dolor etenim intra urethram primum percipitur, et, per decurſum morbi tantum, ad partes externas patet. Quinetiam vir clarus CRUICKSHANK, nuper comprehenſus, ponit, Blenorrhœam ab irritatione viri venerei in partibus exterioribus pendere, et hoc in urethram non intrare. Et ſibi in animum, ſe hoc demonſtraſſe, inducit,

quod

quod lotiones externæ morbo aliquando occurrunt. Cæterum res veræ numeroſæ et experientia quotidiana fundamenta huic hypotheſi ex toto ſubruunt.

Doctus autem MONROIUS opinatur, virus venereum in urethram attractione capillari, uti vocatur, vel eo modo, quo oleum inter duas laminas vitreas aſcendit, invehi; etenim, ut inquit, dum penis erigitur ſummamque diſtenſionem attigit, mucus, qui reſtat, ſub forma guttæ, ad oſtium urethræ, exprimitur, quæ, pene detumeſcente, intra urethram retrahitur. Alia rurſus, inquit vir celebris, ut in hanc ſententiam eam mihi ſuadent. Inſecta intra cavum narium offendo, quorum genitrices illuc intrare non potuerunt, ſed ova ſua in muco narium haud dubie depoſuerunt, forſitan dum dormiebatur, quæ, inter expergiſcendum, intro in cavum narium attrahi potuerunt, quo tempore a mortalibus plerumque profunde inſpiratur. His ſimilibuſque inductus concludit, virus venereum in urethram, aliquantum in hunc morem, intrare.

Dr

Dr GIBSON, in diſſertatione ſua inaugurali Edinburgi anno ſuperiore in vulgus edita, virus non ratione poſtremo comprehenſa in urethram invehi contendit. Verba ejus ſubſequuntur. "Plerumque vero, breve ſpatium "poſt coïtum humor mucoſus ex urethra ſtil-"lat; ita opinio poſtrema haud omnino con-"ſentanea videtur." Doctor vero ſecum cogitare debuit, hoc argumentum omni alii opinioni, et ſuæ in reliquis, ex æquo obſiſtere. Nonne profuſio, cujus mentionem facit, virus ſecum abducet, ſive, per attractionem capillarem, ſive, per frictionem, ut ille ponit, in urethram ingrediatur?

Hæc theoria, meo judicio, omnium maxime probabilis eſſe videtur; aliquas tamen res veras novi, quæ per eadem principia clare nequeunt exponi.

Blenorrhœam, ſine ulla ſeminis evacuatione, bis contrahi pro certo ſcivi. In altero exemplo, ad coïtum, experimenti faciendi cauſa, decurſum eſt, et in hoc, ut mihi perſuaſum fuit, ne gutta quidem ſeminis minima fuit emiſſa.

emiſſa. In altero ad venerem fortuito confugitum eſt, ſed vir generoſus pro certo novit, nullam emiſſionem incidiſſe; namque aiebat, frictionem multo diutius prius adhiberi oportuiſſe, quam is effectus potuit edi. Et unus et alter generoſorum in morbum inciderunt. Vir ingenioſus, et mihi in primis dilectus GULIELMUS YATES, Liverpolienſis, ſeptem pueros Blenorrhœa ab eadem puella affici vidit, quorum nulli decennium fuerant tranſgreſſi, et quidam eam ætatem minime attigerant. Quod puellæ, ad coïtum puerorum præmaturum decurrere, in animum induxit, id hujuſcemodi fuit. Ab aliquo fuerat edocta, ſe, ſi notitiam complurium, qui morbo carerent, habere poſſet, a morbo ex toto liberatum iri. Hæc notio apud vulgus nimis etiamnum dominatur. In omnibus autem his caſibus nulla emiſſio incidere potuit. Igitur gutta, ad oſtium urethræ extremum, virus ſecum retrahere non valuit. Ex iis, quæ colligere potuerim, haudquaquam apparet, minimam etiam ſpeciem guttæ cujuſlibet in urethra puerorum

rum eandem ætatem, quam ſupra poſuerim, habentium, dum penis erigitur, ſemet oſtendere. Nec quidem conſtat, ullam hujuſmodi ſpeciem in adultis etiam, antequam ſemen emittitur, in conſpectum dari; præterquam in iis, qui, in aliquantum temporis antea, Blenorrhagia infeſtati fuerunt. Hoc vero attractionem capillarem, quæ ſupra fuit poſita, quæque haud dubie eſt opinio maxime probabilis, minime convellit. Igitur non opinari non poſſum, virus in urethram attractione capillari immitti, ſed hanc non parum adjuvare frictionem mechanicam, quæ ut vis a tergo, agere poteſt. Et, quanquam profuſio a coïtu conſtanter notatur, tantum ponendum eſt, contactum viri venerei ad actionem veneream in vaſis urethræ excitandam eſſe neceſſarium, et hanc motum iri, quamvis virus ei, in ſpatium temporis breve tantum, admovebitur. Nonne admodum probabile eſt, partem viri, urethræ adhærentem, poſſe manere?

SEDES MORBI.

Multis olim placuit, Blenorrhœam in veſiculis ſeminalibus ſedere. BARTHOLINUS, eam glandulam proſtatam tenere, opinatus eſt. Accurtiſſimus MORGAGNIUS ſequentia, ſuper hac re, memoriæ prodit. " Ventum eſt, ut vides, " ad poſtremam in urethra gonorrhœæ ſedem, " proſtatam videlicet glandulam, et caruncu- " lam ſeminalem." Idem Auctor alibi addit. " Cum in juvene annos nato viginti quinque " ſtrigoſas, adeo atque exſuccas, contra atque " illa ætas fert, veſiculas deprehendimus; ea- " dem enim virulenta inflammatio, quæ extre- " morum ſeminis ductuum alterum olim con- " traxerat, alterum obcæcaverat, in veſiculas " propagari potuit." In eadem epiſtola notat. " Occurrit hic quoque gonorrhœæ ſedes, " nobis altera, Littrio prima, videlicet, ut ipſe " conſtituerat, COOPERI glandulæ, &c *". De eadem re Auctor eruditiſſimus ita diſſerit. " Non

* MORGAGNIUS de cauſis et ſedibus morborum, epiſt. 44.

" Non adeo in longis ſorte et corruptis mor-
" bis etiam glandulas Cooperi, aut demum
" proſtatam, corruptas eſſe, perſuadeor ; nec
" facile crediderim in iis ſedem eſſe primoge-
" nitæ corruptionis, etſi longo malo ſeriorum
" ſupervenire non recuſo, id neque glandulis
" Cooperi, vera experimenta extare credo *."

Quodcunque offenderit Morgagnius, Hallero non aſſentiri non poſſumus, partes, quas Morgagnius memoraverit, in caſibus recentibus rarius affici. In exemplis vero, quæ aliquantum ſpatii habuerunt, in nonnullis etiam trium menſium, Monroius e præparatis ſuis anatomicis morbidis clare demonſtrat, totam urethræ membranam, præter conſuetudinem, eſſe incraſſatam, et eroſionem, in uno exemplo, ad cervicem veſicæ uſque patuiſſe. Pleræque vero Blenorrhœæ recentes in urethra, digitum aut circiter ab eo loco, ubi in glandem definit, ſedent. Viri clari Plinii experimentum hoc plane firmavit, ſed ad id animum non ſatis attenderunt chirurgi et Medici.

* Halleri Element. Phyſiol. tom. 7. p. 474.

dici. Urethram, tres digitos aut circiter ſupra glandem, preſſuræ ſubjecit, deinde, ut materia partem preſſam inter et glandem colligeretur, ſatis ſpatii permiſit. Hoc facto, materiam, quæ infra preſſuram primariam coiverat, expreſſit. Tunc digitum, quo primam fecerat preſſuram, removit, et partes, ſupra iſtam preſſuram, deorſum compreſſit; ſed nihil materiæ potuit comparare.

Uſus injectionum idoneus ſedem morbi clariſſime demonſtrat; preſſura nempe urethræ, quo liquores immiſſi ad veſicam uſque non ſibi viam patefaciant, nec virus venereum retro pellatur, illata.

Utrum profuſio ab ulcere necne, vel a ſecretione adaucta, proficiſcatur.

An quibuſdam auctoribus aſſentiendum eſt, ulcera urethræ progenerari; vel, in morem aliorum, ex toto inficiendam eſt, ea unquam exiſtere? Nonne verba Ovidiana adhibere licet? "Medio tutiſſimus ibis." Igitur aſſerere placet, membranam urethræ, in pleriſque

que caſuum communium, irritatam eſſe et inflammatam, nulla ſubſtantia amiſſa, vel continuitate ſoluta; et globulos, qui muco excreto commiſcentur, non ſingularem naturam habere, ſed, uti MONROIUS ingenioſus ait, in catarrho communi excretos omnino referre, in quo exulceratio incidere minime ponitur. Si vero morbus gravior fuerit, ſumma ratio non deeſſe videtur, cur ulcera ſubeſſe credamus; namque dolor minime modicus eſt, et ſanguis etiam non raro profunditur. MORGAGNIUM, in una operis parte, nulla ulcera in gonorrhœa oriri, plane contendere reperimus; in alia vero contractiones, cum obſtructionibus, multorum ductuum mucoſorum æque plane commemorat, et haſce contractiones etiam veſtigia priorum ulcerum eſſe affirmat. "Quippe indicans, unde irritans virus, et demum exulcerans deſtillaſſet.*" MONROIUS celeberrimus præparata poſſidet, in quibus eroſiones, a cauſa venerea proficiſcentes, ſeſe evidenter

* Epiſt. 44. Art. 10, 13.

denter oſtendunt. Quinetiam idem vir clarus, auxilio duorum ſpecillorum, ulcera in urethris complurium ægrotantium, qui curæ ſuæ commiſſi ſunt, frequenter videre potuit. Inſuper fiſtulas, a ſimili cauſa ortum ducentes, non tantum in urethra, ſed in omnibus penis partibus diverſis, offendimus; et vir clarus, modo comprehenſus, credit, eas eſſe multo frequentiores, quam MORGAGNIUS opinari videtur. Etenim ulcera urethræ ineſſe poſſunt; et nulla tamen eorum veſtigia brevi reperiri valebunt. Hinc argumenta iis, in cadaveribus incidendis, non apparentibus inædificata nihil valent; namque ulcera venerea in lingua et faucibus ex toto evaneſcunt, et forſitan multo citius nulla veſtigia in partibus ab aere ſecluſis relinquent. Doctor ait, affirmatum fuiſſe, bubonem a blenorrhœa nunquam oriri; ſed experientia eum ex toto contrarium docuit. Minime tamen ulcera in omni exemplo eſſe contendit; ſed ait, bubones, propterea quod urethra muco bene defenditur, rarius

ſemet,

ſemet, ſine ulcere, eſſe oſtenſura. Qui ulcus in urethra nunquam exiſtere aſſerunt, ii modo ſequente loquuntur. Si turunda in urethram inſinuetur, et ibi, in ſpatium quatuor vel quinque horarum, remaneat, materia puriformis e lacunis urethræ profundetur. Inſuper profluvium ſimile, in ophthalmia, ab inflammatione palpebrarum proficiſci ſæpe notatur. Profuſio idem genus in fluore albo, coryza, &c. apparet; et tamen ab ulceribus profluere non ponitur. Hoc vero, quod ſupra aſſeruimus, ulcera nempe in blenorrhœa frequenter exiſtere, minime ſubruit; namque ea in cadaveribus incidendis vidimus, et neminem fere, ea, ſingulis annis, in theatro anatomico Edinenſi demonſtrari, latet. Si aliis anatomicis ea in inveſtigationibus ſuis offendere non contigit, et ſe ea non reperiſſe non plane confitentur, ſed inde talia nunquam exiſtere, audaces concludunt, liceat rogare. Quidnam ſuæ aſſeverationes, demonſtrationi ipſi oppoſitæ, hocce ſeculo perſpicaciſſimo, quo nihil fidei niſi certiſſimis

tiſſimis habetur, valebunt? Nonne omni pondere deſtitutæ eſſe exiſtimabuntur?

PROGNOSIS.

Quantum prognoſin in hocce morbo ſpectat, quo mitiora ſigna ſunt, eo expeditior curatio ſperari poteſt, et vice verſa. In exemplis lenioribus, cum irritatio et ejus effectus, inflammatio nempe, non concitatiora ſunt, morbum, octo decemve dierum ſpatio, depelli aliquando videmus. Si vero inflammatio gravior eſt, præſertim in corporibus irritabilibus, cumque ægroti ipſi rationis vivendi idoneæ non ſatis tenaces ſunt, morbus nonnunquam, in magnum temporis ſpatium, ante producitur, quam curatio poteſt abſolvi. Immo denique cum omnia conamina fuerint adhibita, ſtillicidium inſanabile aliquando reſtat.

RATIO SIGNORUM.

Quo ſigna blenorrhœæ propria rite exponantur, virus venereum cuilibet alii materiæ irritanti, ſuperficiei urethræ internæ per quam ſenſili admotæ, comparetur neceſſe eſt. Quæ experimenta Doctor SWEDIAUR in ſemetipſum inſtituit, ea huic rei ſummum lumen offundunt. Virus modo, quem ſupra comprehenderim, applicatum parti ſtimulo, præter naturam, eſt, et inde actio partis intenditur. Et lex œconomiæ animalis eſſe videtur, actionem fibrarum muſcularium cujuſlibet partis, intra certos limites adauctam, ſenſilitate quoque adaucta conſtanter ſtipari. Hinc ſenſus doloris proficiſcitur. Alia œconomiæ animalis lex hæc eſt, quemlibet ſtimulum datum, pro gradu irritabilitatis vel mobilitatis partis, effectum majorem minoremve eſſe habiturum. Hinc morbus in aliis corporibus, quam in aliis, multo gravior eſt. Tertia œconomiæ animalis lex hujuſcemodi eſt, actionem in quali-

bet ſuperficie ſecernente, ad certum gradum adauctam, auctu quoque ejus ſecretionis conſtanter ſtipari. Hinc oritur ſecretio in hocce morbo adaucta. Diverſi profuſionis colores cum irritatione, vel actione vaſorum partis, quodammodo conjungi, et inde pendere videntur. Mucus naturalis, quo urethra defenditur, mutatur et abducitur; et hinc ardor urinæ profluit. Namque experimenta oſtenderunt, calorem urinæ, in ardore ejuſdem, non augeri, ut thermometrum plane et evidenter indicat. Hinc vocabulum *Ardor Urinæ* minime idoneum eſt. Irritatio conſtanter pergens ſenſum moleſtiæ, per totum urethræ decurſum, facit, qui contractionibus cervicis veſicæ, voluntati non ſubditis, ſtipatur. Hanc ob cauſam, ſtranguria ardorem urinæ frequenter concomitatur. Cum inflammatio concitatior eſt, exulceratio eſt hujus ſequela. Hæc quoque ſtricturas frequenter movet. Cum inflammatio profundius tendit, et membranam reticularem, uti appellatur, occupat, exudatio lymphæ coagulabilis incidere dicitur. Hinc

profluit

profluit tentigo inæqualis, Anglice *chordee*, quæ conjunctione cellularum corporis ſpongioſi urethræ fit, quæ poteſtatem ejus diſtenſionis impedit, et eam, dum penis erigitur, corporibus penis cavernoſis inæqualem reddit. Tentigo vero inæqualis in una erectione ſubeſt, in altera deeſt, in tertia rurſus apparet. Quo hoc explicetur, notari poteſt, corpus urethræ ſpongioſum cum corporibus penis cavernoſis non communicare. Igitur poſteriora ſanguine repleri poſſunt, dum priora multo minus ejuſdem habent. Rebus ita ſe habentibus, *chordee*, uti appellatur, aberit; namque tantum accidere poteſt, cum et corpus urethræ ſpongioſum et corpora penis cavernoſa eriguntur. Hoc explicabit, cur in una erectione ſubſit, et in proxima deſit.

Tumor teſticulorium proxime conſiderandus eſt. Ab aliis auctoribus aliter fuit explicatus. Omnes vero fere hocce phænomenon exponendi rationes recenſuit, et iiſdem breviter reſpondit illuſtriſſimus Monroius. "Iſtud "autem ſtatuere, virus, nempe venereum, in "ſanguinis

" ſanguinis maſſam per vaſa abſorbentia ſuſce-
" ptum, et deinde per arterias ſpermaticas te-
" ſtibus illatum, eos in tumores attollere, vix
" ac ne vix quidem nos edocet, cur alia cor-
" poris organa non etiam invadat; cur ſubito
" adeo teſtes intumeſcant, cum materies mor-
" boſa lentiſſime certe per arterias in teſtes
" irruat; denique, cur ſubito adeo detume-
" ſcant, reſuſcitata gonorrhœa, neque aliis
" organis vitium inferat. Contra, ponere ve-
" nenum venereum, recta per vaſa lymphati-
" ca, vel per vas deferens reſorptum, in
" teſtes incurrere, et eos occupare, anatomiæ
" omnino adverſatur*."

Univerſæ hæ hypotheſes ad tumorem teſticulorum explicandum haudquaquam ſufficiunt. Igitur per principia diverſa eum exponere conandum eſt. Teſtes intumeſcere frequenter notati ſunt, dum calculi per urethram tranſibant, vel etiam dum a renibus per ureteres deſcendebant.

In

* Theſaur. Med. v. 2. p. 377.

In tractatu de re chirurgica vir clarus SHARP, testiculos, ab operatione laterali lithotomica, intumere notavit. Et vir sagax quoque POTT in prælectionibus de eadem materie tradit, se tumorem testiculi a dosi nitri nimis larga, ab ægroto sumpta, oriri vidisse. Si in hisce duobus exemplis autem tumorem, sine auxilio translationis vel absorptionis materiæ, exponere possimus, quid obstat, quo minus idem, in casu venereo, faciamus?

Morbus, uti jam notavimus, in progressu suo, pro rebus diversis, naturali, altius altiusque in urethram penetrat, et inflammatio membranam prope ductus seminales occupat, unde finis vasis deferentis afficitur, et irritatio retrorsum ad testiculum usque propagatur. Hinc tumor ejusdem et inflammatio ab irritatione eodem modo cientur, quo, uti MONROIUS in thesi sua de testibus inquit, "piper oculo "vel ori immissum lachrymas et salivam ci-"tat."

Et idem vir clarissimus, ut documentum hujusce doctrinæ, notat tumorem ad vas defe-

rens

rens conſtanter incipere, et inde ad epididymidem, et hinc, ad extremum, ad teſtem ipſum procedere; et tumorem ſubſidentem idem iter omnino, ab oſtio nempe vaſis deferentis ad teſtem, aſſidue perpetuoque tenere. Hæc ſatis evidens perſpicuumque reddunt, tumorem teſtium in Blenorrhœa ab irritatione retrorſum propagata ortum deducere. Quæ ophthalmia, profluvio ſuppreſſo, ſemet oſtendit, ea conſenſui illi partium ſingularium generali tribuenda eſt, quem viri clariſſimi, Monroius in libro ſuo de ſyſtemate nervoſo, et Whyttius in tractatu de motibus involuntariis tam docte accurateque fuerunt proſecuti. Eidem quoque ſyſtematis legi referendus eſt tumor mammarum in fœminis, et teſticulorum in viris, qui in cynanche parotidæa, glandulis externis detumeſcentibus, oriri conſuevit. Inſuper celebris Morgagnius caſus mentionem injicit, ubi ophthalmia oculos, et arthritis pedes alterne corripuit. Itidem Cullenus immortalis in prælectionibus ſuis commemorare ſolitus eſt, ſe juvenem ophthalmia laboraviſſe,

laboraviſſe, et, monitu cujuſdam, ad uſum pulveris nicotianæ decucurriſſe, qui morbum ſanavit. Aliqua vero in cauſa fuerunt, cur ab uſu ejus aliquamdiu deſiſteret, et morbus repetivit, et uſu ejuſdem renovato iterum depulſus eſt. Hæc omnia legi ſupra poſitæ referenda ſunt.

Bene perſpicuum eſt, qua ratione Blenorrhœa ſiſti, aut etiam ſanari, poſſit, febre accedente. Namque cum vaſa extrema interna æque, ac externa, ſpaſmo, qui febris ſymptoma eſt, univerſo corripiantur; clarum evidenſque eſt, hunc omnes ſecretiones totius corporis, et igitur urethræ in reliquis, eſſe diminuturum. Hinc, ſi ſpaſmus, in tempus non modicum, conſervetur, poteſtas virus venereum procreandi, vaſis urethræ propriis inſita, perdi poteſt; aut vaſa ipſa forſitan ad actionem ejus ulterius ſentiendam male accommodata evadere valent. Ita morbus utrovis modo ad curationem abſolutam poteſt perduci. Si hoc verum ſit, facile explicabit, cur alii aliis ad morbum procliviores ſint, et idem etiam aliis.

Utrum

Utrum materies Blenorrhœæ et Syphilitidis eadem necne ſit.

Hæc quæſtio autem ingenium quorundam ex eruditiſſimis nuper exercuit, et nonnulli eorundem aſſerunt, materiam Blenorrhœæ ab acrimonia ſimplice; luis a viro ſpecifico proficiſci.

1. Affirmatur, luem mercurio poſſe depelli, et Blenorrhœam nihil mutationis inde ſubire.

2. Aſſeritur, luem quadraginta annos, antequam Blenorrhœa ſemet oſtendit, ſævitiem ſuam apud incolas Europæ exercuiſſe. Quod, lue cum inſulam Otaheite tenentibus communicata, incidit, id, ut opinionis prioris tenaciores ſint, facit. Namque docent, Blenorrhœam ibi etiamnum eſſe ignotam.

3. Contenditur, Blenorrhœam luem nunquam facere, et materiam Blenorrhœæ luem inſitione non eſſe facturam. Hæc autem præcipua argumenta ſunt, quæ ab iis, qui morbos

natura

natura ſua ex toto diverſos eſſe contendunt, adhibentur.

Proximum eſt, ut his reſponſa ordine reddere conemur.

Primo argumento hoc modo reſpondetur. Rem, nonnullis in exemplis, ita ſeſe habere poſſe confitemur. Namque axioma medicinæ fere univerſum eſt, vitia loco propria non tam cito medicamentis in ſyſtema univerſum agentibus, quam parti ipſi laboranti admotis, parere conſueviſſe. Quo magis loco certo quilibet affectus continetur, eo magis remediis generalibus obſiſtet. Compertum habetur, ulcuſculum remediis loco ipſi applicatis ſanari poſſe; dum ſyſtema, eodem tempore, affectum et inquinatum manebit.

Proximum eſt, ut rationes, cur mercurius Blenorrhœam non ſanet, examinemus. Aſſeritur, partes in Blenorrhœa affectas actioni mercurii non ſubditas eſſe, quod extra limites circuitus ſanguinei ſunt. Si vero iter, quod circuitus teneat, et fines ejus diverſos conſideremus, opinio modo comprehenſa, me judice, principiis falſis inniti reperietur. Nonne

mucus urethræ e ſanguine per arterias, ut in omni alia corporis parte, ſecernitur? Hoc verum eſſe nemo negabit. Documenta autem indubitabilia habemus, globulos mercurii arterias glandulis ſalivariis proprias intrare, et oſtia quoque vaſorum lymphaticorum patula, in omnibus partibus corporis diverſis. Si res ita ſe habeat, nonne mercurius quoque per arterias urethræ mucoſas ad unamquamque penis partem devehitur? Cum demonſtraverimus, mercurium ad partes penis remotiſſimas diffundi, proxime conabimur probabile reddere, mercurium in omni exemplo, ſi quantitatem ejus ſatis magnam conſtitutio corporis poſſet tolerare, Blenorrhœam eſſe depulſurum. Hoc vero incidere non poteſt, niſi ſyſtema univerſum eo quaſi ſaturabitur. Numerum ægrotantium non parvum pilulis mercurialibus Pharmacopœiæ Londinenſis ſanari vidi, qui novam praxin, uti eam appellant, averſantes idonea remedia ſumere recuſarunt, et nihil, præter pilulas modo poſitas, adhibere voluerunt. Omnes tamen, ſine ulla ſequela mala, ad ſanitatem ex toto reducti ſunt. Dicetur forſitan, æque bene

curatum

curatum iri, ſi pilulas e micis panis confectas ſumpſiſſent. Huic vero minime aſſentiri poſſum, quod numerum ægrotorum non modicum hoc modo curari vidi, et, quanquam nonnulla exemplorum leniora erant, ratio non deerat, cur medicos praxeos hujuſcemodi pœniteret.

Quod *ſecundum* argumentum ſpectat, liceat notare, primas hiſtorias et deſcriptiones luis, quas memoriæ prodiderint ſcriptores antiquiores, adeo confuſas et imperfectas eſſe, ut parum nihilve fiduciæ in iis poſſit collocari. Et cum nobiſcum reputamus, virum ingenioſum Astruc clare evidenterque demonſtraſſe, Blenorrhœam, intra quadraginta annos, poſtquam Syphilis in incolas Europæ primum invaſit, extitiſſe; nulla argumenta a ſpatio temporis tam brevi tamque nugatorio, illam eo tempore non ortam eſſe probandi conſilio, peti debent; præſertim, poſt tot ſecula elapſa, dum modum, quo morbus uterque cum mortalibus communicatur, omnino eundem eſſe notamus, et dum obſervationes quotidianæ, unum alterum frequenter excipere, quod haud dubie ex tempo-

re,

re, quo in Europam primum immigraverunt, incidit, plane teſtantur. Quantum ad hoc, quod Blenorrhœa in inſula Otaheite nondum orta eſſe dicitur, attinet, Dr SWEDIAUR auctoritate viri clariſſimi, præfecti navalis KING, confiſus tradit, ſe materiam ex urethris incolarum hujuſce inſulæ excerni frequenter vidiſſe. Hoc evidenter oſtendit, quam parum narrationibus hiſtoricis, etiam recentibus, poſſimus confidere, et igitur quantum fidei deſcriptionibus morborum ante multas centurias traditis debeat derogari. Quidam rei veræ, a præfecto KING commemoratæ, occurrere conati ſunt, quod vir generoſus, qui eam obſervavit, non medicinæ operam navaverat, quodque humores interdum ex urethris Blenorrhœa non laborantium efferri ſolent. Compertum vero habemus, profuſiones ex urethra non venereas a morbis chronicis plerumque oriri. Affectibus autem hujuſcemodi patere vix poni poſſunt incolæ partis orbis terrarum incultæ. Et cum Syphilitidem eos invaſiſſe, et humorem illis ex urethra profundi compertum

tum habeamus, nemo, præjudiciis non abreptus et occæcatus, quin Blenorrhœa ſit, dubitare valebit. Cum ſcripta eorum, qui primi, aut in primis, hunc morbum executi ſunt, percurrimus, neminem eorum mentionem injicere reperimus, bubonem Syphilitidem comitari, quanquam ſigna luis et ulcuſculi ſatis accurate depingunt. JOANNES de VIGO etiam, qui tractatum de morbo Gallico, una cum ſyſtemate chirurgicæ artis, anno ſalutis humanæ 1526, in lucem edidit, nullam bubonis mentionem facit, quamvis Syphilitidem ſatis perſpectam habuiſſe videtur. An vero hinc concludere licet, bubonem naturam veneream non habere? Si teſtimoniis hiſtoricis ſolis regeremur, nihil omnino obſtaret, quo minus inde cogeremus, eum ortus, quam luem, recentioris eſſe, et iiſdem principiis, et cum ratione æque gravi, arguere liceret, eum a Syphilitide ex toto diverſum eſſe, ac materiam Syphilitidis et Blenorrhœæ inter ſeſe differre.

Tertium argumentum denique conſiderandum ſupereſt. Et hic non notare non poſſumus,

mus, medicos ſummæ claritudinis, experientia et obſervatione diuturnis inductos, in ſententiam ex toto diverſam iviſſe. Vir jure ſummo celeberrimus MONROIUS, jam toties citatus, affirmat, ſe notas Syphilitidis, a Blenorrhœa proficiſcentis, evidentiſſimas vidiſſe; et alii medici clari idem obſervarunt. E JOANNIS HUNTERII experimentis conſtat materiam luis Blenorrhœam eſſe moturam, et materiam hujus, contra, morbum venereum totius ſyſtematis eſſe progeneraturam. Alia experimenta ſimilis naturæ ab aliis viris generoſis fuerunt inſtituta, et eventus non idem eſſe repertus eſt. Ratio hujus vero forſitan aliqua ex parte reddi poteſt. Imprimis neceſſarium eſt, cum pericula hoc genus fiunt, ut materia, quæ admoveatur, revera venerea ſit. Igitur ex aliquo morbo recentiore laborante ſumi debet; namque, cum Blenorrhœa aliquantum ſpatii habuit, utrum materia profluens venerea, necne ſit, locus dubitandi eſt. Inſuper ſilentio non prætereundum eſt, vaſa partis modo punctæ, cui virus admovetur, in actionem violentam,

violentam, per vim inſtrumenti ſtimulatricem, exſuſcitari, ſanguinem profundi, et læſionem forſitan primo, uti vocatur, conſilio conferve-re. Si non, pus quantitate et dotibus valetu-dini corporis commodæ reſpondens effundit. Rebus ita ſe habentibus, virus ſanguine, vel pure, prius ablui periclitatur, quam una ejus particula vaſa partis contingere poteſt. Hoc in caſu, nullus effectus venereus edetur. Sin, contra, experimentum in magis debilitatos, et in conſtitutionem corpoream muneribus ſyſte-matis rite fungi minus valentem, inſtituatur, vaſa partis minus irritabuntur minuſque vio-lenter agent. Hinc minus puris, ejuſque na-tura ſua non æque blandi, ſecernetur, et mul-to melior viro partis læſæ vaſa contingendi ca-ſus ſubminiſtrabitur. In tali rerum ſtatu, morbus pro certo fere movebitur.

Cum per argumenta ſupra comprehenſa oſtenderimus, in primis eſſe probabile, Mercu-rium in ſyſtema copioſe diffuſum Blenorrhœ-am eſſe ſublaturum; parum fiduciæ in teſti-moniis hiſtoricis collocari debere, et hinc,

cum

cum ratione æque gravi, contendi poſſe, bubonem naturam veneream non habere; Blenorrhœam apud incolas inſulæ Otaheite minime eſſe ignotam; materiam Blenorrhœæ luem morbumve totius ſyſtematis venereum eſſe facturam; et omne experimentum, utrumque morbum eundem, et minime diverſum, eſſe demonſtrandi cauſa inſtitutum, non proceſſurum; ſumma ratio, cur materiam Syphilitidis et Blenorrhœæ, unam eandemque eſſe concludamus, non deeſſe videtur. Nihil amplius denique ſuper hac re, quam virus alias partes alio modo afficere, ut potuit expectari, addere poſſumus. Si glandulæ urethræ mucoſæ, inquit MONROIUS eruditus, deeſſent, nihil venereum, præter Syphilitidem, in conſpectum ſemet daturum eſſe probabile eſt.

RATIO MEDENDI.

SYDENHAMIO judice, curatio Blenorrhœæ a medicamentis purgantibus pendet, quibus "humorem peccantem" evacuari, vel derivationem humorum naturalium fieri ponit. Opinatur

natur quodlibet purgans, præſertim perquam draſticum, ſi in uſu ejus diu perſtetur, morbum depulſurum eſſe; et formulam hujuſcemodi, quotidie in primos duodecim vel quatuordecim dies adhibendam, magnis laudibus ornat. Sub primum menſem extremum, ut ad detractionem ſanguinis, " in temperamento ad- " modum ſanguineo" decurratur ſuadet. Per totum hoc temporis ſpatium, alvum ægroto liberaliter purgavit, et apud eum quaſi axioma erat, " quodcunque mundificat bene, " bene ſanat." Quinetiam addit, ſi rationes ſupra dictæ non morbum tollant, purgans adſtringens votis plerumque reſponſurum eſſe. Si hoc non curationem abſolvat, ut duæ treſve doſes turpethi mineralis, ex idoneis intervallis, et ampla calomelanos doſis, bis ſingulis hebdomadis, adhibeantur hortatur. Hujuſcemodi fuit praxis SYDENHAMIANA.

Ex iis, quæ ſupra de actione viri venerei propoſuerimus, quod pro materia membranam urethræ, cui ſummam ſenſilitatem ineſſe novimus, irritante non habere non poſſumus, ap-

parere videtur, ſequentia medendi conſilia naturæ hujuſce morbi non male accommodari.

1. Materiam irritantem ex urethra expellere, vel, ut partes actionem ejus minus ſentiant, facere.

2. Inflammationem, cum urget, tollere.

3. Partes corroborare, et ſigna, quæ ſuperſunt, depellere.

Conſilium primum explendi cauſa injectiones numeroſæ fuerunt adhibitæ. Blandæ maxime ei convenire videntur, quales ſunt, oleum amygdalarum tepidum, mucilago gummi Arabici, et multæ aliæ ſimilem naturam habentes, quæ urethram inflammatam lubricando, ut a viro minus irritetur, faciunt. Summis laudibus elatæ fuerunt nonnullæ injectiones, virus ex toto diſſolvendi, et ex urethra penitus eluendi conſilio adhibendæ, quales ſunt alkali cauſticum fixum ſolutum. Hoc mucum ex toto diſſolvere reperitur. Sapo, mucilago gummi Arabici et oleum ei admiſceri nequeunt *. Hæc ſolutio non tantum in auxilium morbi,

* Theſaur. Med. vol. 2. p. 514. exp. 8. et 9.

morbi, cum invaſit, prompta eſſe reperta eſt, ſed ei venienti feliciter occucurrit, ut e locis ſequentibus diſſertationis inauguralis Doctoris BALFOUR diſcere licet. " Talem caſum," inquit, " autem mihi renunciavit, ingenioſus " juvenis JACOBUS BLAIR. Ipſe paululum hu- " moris ab urethra nuper infecti abſumpſit, " et urethræ ſani impoſuit. Circa diem quar- " tum poſt, periculo ſubjectus omnia ſympto- " mata morbi venientis obſervabat. Tunc pro- " tinus injecta ſolutione alkalina, evacuatio " muci magna fuit, nec amplius conqueſtus " eſt, niſi quod aliquid humoris per unum vel " alterum diem ex urethra proveniret. Idem " juvenis morbo, a coïtu accepto, ſæpius eodem " modo occucurrit." Hæc injectio Londini, et cum ſucceſſu proſpero, plurimum adhibetur. Complures aliæ in uſu ſunt, ut ſaccharum vel extractum ſaturni. Nonnulli ſolutiones vitriolorum diverſorum, mercurii corroſivi ſublimati et multorum aliorum, adhibent. Quæcunque vero ſolutio adhibebitur, cura agatur neceſſe eſt, ut vires

ejus

ejus tam modicæ ſint, ut nihil parumve ſaltem irritationis aut doloris poſſint inferre.

Proximum eſt, ut quænam *conſilio ſecundo*, inflammationem nempe et ſigna, quæ eam comitantur, cum urgent, tollere, conveniant conſideremus. Notæ inflammationis in iis potiſſimum oriuntur, qui valetudine commodiſſima fruuntur, qui temperamento ſanguineo præditi ſunt, et præſertim in iis, qui, ob phlogiſticam diatheſin, ad inflammationem proclives ſunt. In hominibus hujuſcemodi, ſanguinis detractio erit neceſſaria, eaque univerſa. Loco propria quoque, per hirudines, ſæpe adhibeatur neceſſe eſt. Cum hirudines cuilibet loco, prope partes genitales, admoventur, ſemper diligenter agendum eſt, ut virus venereum impediatur vulnera, quæ hirudines inflixerint, ulla ex parte contingere. Hic regimen antiphlogiſticum ſtricte adhibeatur; ægrotus infuſum lini, vel decoctum althææ liberaliter bibat, vel gummi Arabicum in ore conſtanter teneat. Omnem irritationem, et mentalem et corpoream fugiat, et, in omnibus Blenorrhœae

exemplis,

exemplis, ſuſpenſorium ſcroti adhibeatur, quoniam tumori teſticulorum ſæpe occurret. Quas ſupra comprehendimus injectiones, ad eas, hoc in caſu, poteſt decurri. Semper leniſſimæ ſint, præſertim dum ſigna inflammationis graviter urgent. Prout hæc diminuentur, vires injectionis intendere licet, et nonnihil opii injectioni adjunctum, irritabilitatem urethræ compeſcendo, plurimum ſæpe prodeſt. Plurimum hujuſce poteſtatis poſſidere videtur ſaccharum ſaturni. Cum ardor urinæ ægrum gravius infeſtat, optimos effectus ab injectione mucilaginis gummi Arabici, vel olei amygdalarum, mox ante adhibita, quam urinam reddit, oriri ſæpiſſime vidi. Hæc non tantum eum adverſus multum dolorem tutum reddit, ſed auctui ſignorum, quæ a dolore pendent, potenter occurrit, et nunquam neglectui haberi debet, cum fortunæ aegroti tales ſunt, quales impenſam hujuſmodi tolerare poſſunt.

Hic paucula de inſtrumentis liquores in urethram immittendi idoneis, et cura, quæ in iis adhibendis

adhibendis neceſſaria eſt, dicenda videntur. Magna ſyphonum varietas in uſu eſt. Multi eorum propoſito ſuo male accommodantur. Tubus complurium nimis longus eſt, adeo ut ægrotus eum in urethram, ultra ſedem morbi, introducere periclitetur; unde multum irritationis, multumque detrimenti oriri poſſunt. Aliorum rurſus tubus minime ſatis craſſus eſt. Adeo ut liquor immiſſus, in ſpatium temporis idoneum, in urethra nequeat detineri. Et præterea ſyphonibus hujuſcemodi, cum ullo commodo, uti difficile eſt, et extremitas eorum urethræ nocere periclitatur. Syrinx vero, quam laudaturus ſum, me judice, omnibus hiſce incommodis occurret. Tubus hujuſce inſtrumenti in urethram, adeo ut eam lædat, inſinuari nequit. Hoc calice præcavetur, et tubus talis longitudinis et craſſitudinis eſt, qualis ad urethram implendam optime accommodatur, et ita, ne liquor immiſſus effluat, cavet, dum apex conicus, quem ei comparavi, urethram ab omni detrimento defendet. Obſtaculum ei quoque addidi, ut in tabula videri poteſt.

Sypho Blenorrhagicus

poteſt. Uſum hujus in prælectionibus ſuis excellentiſſimis primus innuit MONROIUS. Ita injectio in loculamentis geſtari, et, pro lubitu, adhiberi poteſt. Utriculus e gummi elaſtico vegetabili conflatus eſt, in quod nullæ ſubſtantiæ, ſi terebinthinas excipias, agere poſſunt. Quam ob cauſam, propoſito ſuo optime convenit. Quæ ſola ei adjicienda curavi, ea ſunt longitudo tubi auctior, apex conicus, et obſtaculum.

A quonam hic ſypho primum fuerit inventus, ignoro. Quantum ad modum injectiones adhibendi attinet, in uſum frequenter, et protinus poſt urinam evacuatam, revocandæ ſunt. Virus Blenorrhœæ altius in urethram, niſi idonea cura agatur, frequenter impellitur, et ita morbum de novo movere poteſt. Hac ſuper re, ſententiam ſequentem e theſi de teſtibus MONROII accuratiſſimi citandam puto. " Et ſi forte periculum, ne hac ratione vene-
" num per urethram aſcendat, ab hac praxi
" nos deterreat; nonne hoc per digitorum, inter
" injiciendum,

" injiciendum, ſupra partem affectam, preſſionem minui aut prorſus amoveri poteſt?"

Præter ſanguinis miſſionem et regimen antiphlogiſticum diligenter adhibitum, moris eſt ſal Glauberianum, nitrumque præcipere, cum ægrotus affectibus, quos in præſentia exequimur, laborat. Præſertim cum ardor urinæ gravior eſt, poſterius caloris imminuendi cauſa, prius, ut medicamentum purgans, præſcribitur. Utraque vero aliena eſſe puto. In tentaminibus. ſuis experimentalibus, uti nominantur, de caſu viri cujuſdam meminit Doctor ALEXANDER, qui dyſuriæ venereæ depellendæ largas nitri doſes ſumpſerat, quæ morbum non levarunt, ſed magnopere intenderunt. Ab uſu ejus vero deſiſtere, et eandem gummi Arabici quantitatem adhibere monitus, et hortationi parens ad ſanitatem brevi reductus eſt.

Vir clarus POTT in prælectionibus ſuis de re chirurgica notavit, ſe ſæpius ſemel ardorem urinæ ab amplis nitri doſibus proficiſci vidiſſe. Cauſa hujus facile poteſt exponi. Compertum

tum habemus, nitrum vaſa lymphatica abſorbentia ingredi, cum ſanguine circumvehi, et una cum urina, ut nitrum, evacuari; et ſolutionem nitri debilem cuilibet corporis parti, cuticula deſtitutæ, applicatam magnum irritationis gradum movere. Si igitur, qualis in præſentia conditio urethræ ſit, nobiſcum reputemus, non multum cauſæ erit, cur nitrum ardorem urinæ augere, non levare, miremur. Namque urinam omnino naturalem, parti cuticula ſpoliatæ admotam, multum irritationis, et doloris excitare reperi. Igitur non poni non poteſt, urinam, quo magis nitro fuerit imbuta, eo potentiori urethræ inflammatæ ſtimulo fore, et eo magis ardorem urinæ, jam nimium, eſſe auƈturam. Propter has rationes ſal Glauberianum et omnia alia ſalia purgantia, in Blenorrhœa, vitentur neceſſe eſt. Alvus vero, potius ſoluta, conſtanter teneatur haud dubie oportet. Hoc, ſi commodum eſt, ſemper praeſtare debent enemata leniora. In exemplis, ubi enemata ne-

queunt adhiberi, nullum medicamentum, quod electuario laxanti Pharmacopœiæ Edinenſis antecellit, novi.

Ad *tertium conſilium* jam perventum eſt, quod eſt partes corroborare, et ſigna, quæ ſuperſunt, tollere.

Non raro, cum omnia Blenorrhœæ ſigna ex toto evanuerunt, humor, qui ſpeciem lymphaticam præ ſeſe fert, ex urethra etiamnum efferri pergit, qui id, quod blenorrhagia, vel Anglice *gleet*, appellatur, conſtituit. Non attentionem medicorum fugit, blenorrhagiam aliquando ſigna, Blenorrhœæ propriis ſimilia, habere. Quæ materia excernitur, ea ſpeciem puris ſibi induit, modo viridis, modo flava ; et calore etiam urinæ, et levibus inflammationis ſignis ſtipatur. Haec ſigna plerumque potationem veneremve nimiam excipiunt. Quinetiam ſemet ſæpe oſtendere conſueverunt, cum purgantia draſtica in curatione Blenorrhœæ adhibita fuerunt. Ab aliis plerumque facile ſecernentur, quod, regimine antiphlogiſtico

phlogiſtico adhibito, pauculis diebus fere conſtanter decedunt. Ea tamen perſpecta habere convenit, quod alioquin, ea depellendi cauſa remedia parum idonea adhibere periclitaremur, ea novam infectionem indicare exiſtimantes *.

Blenorrhagiæ a cauſis diverſis proficiſcuntur, modo a debilitate arteriarum urethræ ſeroſarum, quod ſæpe debilitate totius ſyſtematis ſtipatur; modo a ſtricturis, modo a morbis glandulæ proſtatæ. Cum ratio non deeſt, cur blenorrhagiam relaxationem vaſorum pro cauſa habere, et eſt, cur ita putemus, ſi nihil obſtaculi, cathetere introducto, in partibus ſingularibus offenditur; in exemplis hoc genus magna injectionum varietas fuit adhibita. Quæ vero caſibus hujuſcemodi optime accommodatur, ea eſt vitriolum album ex aqua diſſolutum, cui ſolutio opii adjungatur neceſſe eſt. Alii decoctis adſtringentibus, ſub forma injectionum, utuntur, et variis aliis. Si conſtitutio corporis debilis eſſe videatur, ad tonica, ut

* Cullen's Firſt Lines, par. MDCCLXIX.

ut corticem Peruvianum, ferrum, vinum, et exercitationem ſub dio, quæ ſæpe plurimum prodeſt, decurratur. Equitatio vero, non adhibenda eſt, propterea quod, ut morbus rediret, ſaepe fecit; quanquam, in pauculis caſibus, eum depellere fuit dicta. Lavatio marina ſaepe multum proficit. Blenorrhagiae vero pertinaces omnibus hiſce remediis parere ſaepe recuſant; et in exemplis hujuſcemodi electricitas, et aliquando cum commodo, fuit tentata. Epiſpaſtica ſuperficiei urethræ externæ admota Blenorrhagias pertinaces nonnunquam ſuſtulerunt. Terebinthinae in uſu crebriore fuerunt aeque, ac balſamum copaibae, et effectus non parvos edere videntur. Vir clarus JOANNES HUNTERIUS docet ab uſu earum, ſi non intra ſpatium ſex octove dierum proficiant, abſtineri debere. Tres Blenorrhagias, quas naturam earum, quas in praeſentia exequor, habuiſſe ſuſpicor, quaeque per aliquot annos manſerant, uſu gummi myrrhae ex toto tolli vidi, poſtquam omnia alia medicamenta, quae

poterant

poterant excogitari, fuerant incaſſum tentata. Cum Blenorrhagia a ſtrictura plane evidenterque pendet, curatio uſu inſtrumentorum, quae *bougies* appellantur, idoneo ſolo perfici poteſt. Accurata vero anatomiae urethrae notitia, magna aſſiduitas et patientia erunt neceſſariae, cum curationem Blenorrhagiarum ope eorum abſolvendam ſuſcipimus. DARAN omnes haſce dotes poſſidebat, et hoc modo tantam famam et exiſtimationem ſibi adeptus eſt. Juvenis mihi in primis carus et acceptus, qui Blenorrhagia in aliquot annos laboraverat, quae levem ſtricturam pro cauſa habere videbatur, modica tentigine nonnunquam ſtipata, dolorem partis, inter coëundum, acutiſſimum ſenſit, dum ſemen emittebatur. Partibus protinus examinatis, guttam ſanguinis in oſtio urethrae notavit; ſed, ex illo momento, morbus eum ex toto reliquit, et nihil moleſtiae omnino ei, in poſterum, faceſſivit. Hoc vero exemplo proſpero, ſed ſolitario, inductus minime ſuadeo, ut aegroti hujuſmodi ad venerem

rem confugiant; quoniam compertum habeo, hanc, ut morbus repetat, ſaepe facere. Haec igitur, in modum omnium aliorum ſtimulantium et uniuſcujuſque intemperantiae ſpeciei, caute diligenterque vitanda. Cum Blenorrhagiam ab affectu glandulae proſtatae oriri ſuſpicamur, epiſpaſtica perinaeo applicari poſſunt, et ad alia remedia, ut electricitatem, &c. ſupra laudata confugere conveniet, ut vir clarus JESSE FOOT evidenter demonſtrat.

Multae aliae ſunt Blenorrhœae ſequelae, ut phymoſis, paraphymoſis, tumor teſticulorum, &c.; ſed eas tam plene accurateque executi ſunt Dr SWEDIAUR, et JOANNES HUNTERIUS, ut nihil amplius addere poſſim, nec limites ſoliti diſſertationi hujuſmodi praeſcripti me ita facere patientur.

Nunc tantum reſtat, ut hanc diſſertationem ad finem perducam. Si vero hoc facerem, et non, quantum a ſingulis hujuſce Academiae celeberrimae Profeſſoribus fructus perceperim, candide planeque confiterer, memet animi perquam

perquam ingrati non accuſare non poſſem. Namque omnem ſcientiam medicam, qualiſcunque ſit, quam attigerim, illis ex toto debeo. Nec dies ulla longa unquam adveniet, quae, ut gratiſſima eorum recordatio mihi e memoria excidat, facere valebit.

FINIS.